



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Venerabilis Yolandae Priorissae Ad Mariae Vallem in Ducatu Luciliburgensi

Wiltheim, Alexandre

Antuerpiae, 1674

Series Priorissarum Mariae Vallis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11873

S E R I E S
P R I O R I S S A R U M
M A R I Æ V A L L I S.



Uæ à prima cœnobij **MARIAE** Vallis origine cœtum gubernaverint, aut maioribus nostris curæ non fuit tradere posterorum memoriæ, aut memoriæ eripuere longa tempora. Ab Yolandâ deinceps maior fuit eius rei cura. Nobilis Vir Antonius Blanchard, rerum nostratum cognoscendarum perquam studiosus, mihi Seriem Priorissarum **MARIAE** Vallis, seculo hoc nascente digestam, exhibuit, annis, quibus singulæ obierunt, & tempore gubernationis earum adnotatis. Nomina Priorissarum, servato ordine, repræsento, duabus additis, Catharinâ, cuius exstant tabulæ anni 1285. & Aleydâ, cuius memoria ut viventis in tabulis anni 1303. Anni porrò in serie appositi, vereor ut ubique veritati respondeant. Certè in Yolandâ & Poncettâ Meisenburgicâ à vero aberrant. Quocirca ablatis ad eorum nomina vitiosis illis annis, veros substitui, ceteris suæ fidei relictis.

Yolandis Comitissa de
Vianden.

Obijt	Præfuit
anno	annis
1283.	25.
	Cathar.

Catharina	Vivebat	1285.
Poncetta de Meisenburg.	
Aleydis	vivebat	1303.
Margarita Comitissa de Lutzem- burg.		1336.
Ida de Mersch.		1341.	5.
Felicitas de Asperomonte.		1361.	20.
Ioannetta de Limpach.		1366.	6.
Sara de Hollenfeltz.		1382.	15.
Elisabetha de Heldingen.		1384.	2.
Adelheidis de Sassenheim.		1388.	4.
Hebela de Elter.		1391.	3.
Margareta de Sassenheim.		1398.	7.
Mechtildis de Rouffy.		1411.	13.
Catharina de Rupe.		1417.	6.
Margareta de Steinville.		1420.	3.
Adelheidis de Elter.		1458.	37.
Maria von der Feltz.		1466.	8.
Iohannetta de Milburg.		1470.	4.
Anna de Rollingen.		1503.	33.
Guda de Barbanson.		1531.	28.
Iuliana de Barbanson.		1570.	39.
Catharina de Roltzhausen.		1593.	23.
Apollonia de Enschringen.		1596.	3.
Catharina de Lontzen, dicta Roben.		1598.	2.
Francisca de Schawenburg.		1611.	13.
Margareta de Rollingen.		1619.	7.

Hactenus Blanchardiana series. Et quæ huc
usque rem rexere Priorissæ à Senatu Lucilibur-

gensi probabantur, eratque eis magistratus perpetuus. At imposterum ab anno 1619. ex instituto Ordinis D. Dominici ad triennium eligi cœptæ sunt, quarum hic ordo.

Electa. Gubernavit.

Juliana Elisabetha de Deuth.	1609.	4.
Barbara de Houffe.	1623.	6.
Salome de Schawenburg.	1629.	3.
Nicolaa de d'Allamont.	1632.	3.
Ester Faust à Stromburg.	1635.	6. menses.
Nicolaa de d'Allamont, iterùm.	1636.	1. & semis.

Hic annus Provinciæ Luciliburgensi suprâ omnem memoriam præteriti temporis calamitosus, eam propemodum ad solitudinem redegit, belli iniurijs & pestilentiaâ incredibili editâ rerum omnium strage. In communi exitio **MARIAE Vallis** mirè afflicta est, familiâ redactâ ad sex capita, Nicolaa d'Allamontia Priorissa morte sublata. Inter sex illas Virgines duæ erant ob ætatem nondum suffragio accipiendo habiles. Egère itaque, quæ supererant Virgines, apud Reverendissimum Patrem Nicolaum Rodulfum, Ordinis D. Dominici Generalem, ut ex alio cœnobio tresmitterentur, quæ & numerum augerent, & pristino flore reducendo iuvarent. Post multas maximasque preces, agente Admodum Reverendo Patre Ioanne Frid Provinciali, Germaniæ, Pontificiâ auctoritate, ex cœnobio **D. Catharinæ Augustâ Vindellicorum**, tres & genere

genere, & prudentiâ, & virtute nobilissimæ Virgines missæ sunt, Maria Magdalena Comitissa Kurtzia; Iuliana Velfera, Patricia Augustana; & Maria Maximiliana, Comitissa Fuggera. Magdalenæ demandatum munus Priorissæ, Iulianæ Suppriorissæ, Maximilianæ data cura tirocinij. Hæ Augustâ profectæ, MARIAE Vallem advenere anno 1642. VIII. Idus Maias, eodemque die, adstantibus Admodum Reverendis Patribus Arnolfo Gilio & Lucâ Newheusero, illo Trevirensi, hoc Luciliburgensi Priore, promulgatâ publicè earum confirmatione, suum quæque Magistratum feliciter inière, remque restituere orsæ sunt.

Elapso triennio, iterùm tulit Suffragia Magdalena Kurtzia, & anno 1646. XI. Kalendas Octobres decessit. Sublecta ei Catharina de Hautoy, confirmata est anno sequenti 1647. VIII. Idus Apriles. Exinde Magistratum continuavit ad annum usque 1661. quo anno consentientibus omnium votis electa est Maria Christina de d'Allamont. Sed rara Virginis modestia magistratu sibi delato liberari petijt, nec petere destitit, donec tandem multo molimine impetrato universi cœtus consensu, à Superioribus liberata est.

Itum igitur denuo in suffragia anno 1663. & XVI. Kalendas Apriles electa est Maria Maximiliana Fuggera, cui munus in hodiernum usque diem prorogatum est, eo successu, eoque disciplinæ & rerum omnium incremento, ut cum
Floren-

Florentissimis quibusque Virginum Ordinis D. Dominici cœnobijs MARIAE Vallis virtutum famâ eluceat. Cœtum autem modo constituunt hæ Virgines.

Maria Christina de d'Allamont, Suppriorissa, Anna Ioanna Fock ab Hubingen, Regina Elisabetha à Daun, Maria Magdalena à Weingart, Regina Theresia à Roben, Maria Barbara de Villechole, Maria Dominica ab Elter, Maria Barbara Hyacintha de Hautoy, Maria Ludovica de Laitre, Maria Anna de Roben, Maria Eleonara de Lige, & Maria Iosepha à Daun, novitia.

Hæ omnes spretis mundi delicijs, & stemmatum pompa, sub sua Maximiliana, probitate, integritate, pietate & modestiâ, ceu lucentes quædam stellæ, modo micant in terris, ut olim omnes cum sua Yolanda, tanquam Soles, fulgeant in perpetuas æternitates. Interim earum conscientiæ moderator paterna planè cura eis adest Admodum Reverendus Pater Hyacinthus Reuland SS. Theologiæ Professor, & in Ordine Præsentalis, vir prudentiâ, pietate, & modestiâ singulari præditus.

F I N I S.